



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reperiuntur, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediate et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

20

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
XIX. & ULTIMA,
De
ACCIDENTALIBUS
ENTIS ATTRIBUTIS,
Nempè de
SUBJECTO ET ADJUNCTO,
Itemq̄
SIGNO ET SIGNATO,
Quam

Fausto ipsius CHRISTI auspicio,

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstädensis Saxonis, Facult. Philo-
soph. Adjuncti,


*In florentissima WITTEBERGENSI
ACADEMIA*

Publicè ventilandam, placideque examinandam
proponit

PAULUS GILBERTUS

de Spaignart,

*Ad diem 29. Novembr. horis matutinis, in
Auditorio minore.*



WITTEBERGÆ,

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

DEPARTMENTUM
MAGISTRI
ACCIDERE ALIBUS
SUBJECTO ET ADIUNCTO
SIGNO ET
M. JOHANNES JOHANNES
GILBERTUS





DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ

IX. & ULTIMÆ

CONTINUATIO.



Upra in *Disputatione sexta* hujus collegii monuimus ex prælectionibus Metaphysicis publicis *Excell. Dn. D. Jac. Mart.* ejusq; *lib. 1. c. 2.* quomodo attributa entis dici queant, vel *Essentialia* vel *Accidentalitā*. De prioribus, quæ in specie appellantur affectiones, hucusq; actum est; nunc ergo rectâ sequitur, ut suo etiam jure pertractemus *accidentalitā entis attributa*, quæ quidem non ita intrinsecè ex natura entis resultant, ut essentialiter & per se entis, in quantum ens est, convenient sub determinato modo inessendi; quia tamen universalissimi sunt termini ens & omne ens communiter denominantes, eorumq; usus est latissimus per omnia entium genera diffusus, idcirco nihil abs re erit, si de illis hic sub finem generalis contemplationum Metaphysicarum partis quædam moneantur. Sunt verò talia entis attributa potissima, *Subjectum & Adjunctum, signum & signatum*. Quæ facimus *accidentalitā entis attributa* non modo juxta dictum *Præceptoris nostri Excell. Philosopho Theologi Dn. D. Jac. Mart.* qui publicè Anno 1618. in prælect. *Metaph.* ita de hisce terminis docuit, sed etiam ob rationem certam, quæ ita suadet, & non aliter, ut cuius hac in re exercitatio facilè patefcat. Itaq; cum bono DEO sit.

CAPITULUM I.

DE SUBJECTO ET ADJUNCTO.

THESIS I.

Vox *subjecti* varia est. Nunc enim sumitur *adjectivè pro eo, quod alteri est subditum*. Sic Cic. ait: *Nulli natura subjectus & obediens est Deus*. Nunc *Logicis est antecedens pars in enunciatione: nunc pro eo, quod alteri substatur, vel aliud in se recipit*. Et sic opponitur *adjuncto*, taliq; sensu hic dicitur *omne ens esse vel subjectum vel adjunctum*.

A 2

II. Hoc

II. Hoc sensu *subjectum* & *Adjunctum* referuntur inter *accidentia entis*, quandoquidem non videntur enti per se inesse, sed maximam partem à libero hominis arbitrio, dispositione & consideratione pendere. Unum enim idemq; ens respectu alio atq; alio jam *subjectum*, jam *Adjunctum* dici potest, ut docet Dn. D. Jacob. Mart. d. l.

III. *Subjectum* est, quod præter suam essentiam aliquid in se recipit. Sic *substantia est subjectum accidentium*, quia hæc in illa recipiuntur & subjectantur. Sic *paries est subjectum coloris*, albedinis vel nigredinis &c. Sic *mensa dicitur subjectum librorum, vel ciborum in mensa positorum*.

IV. Alii dicunt *subjectum* esse id, cui aliquid adjungitur, ut *Ramista*. Unde & *Scheibl. l. 1. Met. c. 23. ait*, *Subjectum esse ens respectivum, cui aliquid adjungitur*. Ut homo est *subjectum doctrinæ*. Et hanc definitionem judicat magis realem. Illam verò, qua peripatetici dicunt, *subjectum* esse id, quod alteri subjicitur, magis nominalem.

V. Verum, ut dicamus, quod res est, *Ramistica* illa circumlocutio *subjecti* est nimis ambigua, & non nisi improprie verificari potest de omnibus *subjecti* speciebus vel modis. E. g. *Animus est subjectum virtutum, & homo est subjectum divitiarum*: Ubi sanè illa definitio non poterit eodem modo & communi propriâ ratione intelligi. *Virtus enim proprie non adjungitur animo, sed intrinsecè in animo formatur, eaq; ipse animus informatur & perficitur. Sed divitiæ forinsecus adjunguntur sine ulla informatione*. Vid. discuss. *Ramist. Rever. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. lib. 1. c. 10. q. 3.* Sic *color dicitur subjectum visus, ubi certè visus proprie loquendo non adjungitur colori, tanquam suo objecto*.

VI. Nos ergò retinemus illam descriptionem *subjecti*, quâ definitur esse id, quod alteri subjicitur. Etenim hæc per se plana facilis est, unaq; cum notatione nominis ipsam essentiam *subjecti* continet atq; explanat. Quod ipsam nec
ipse

ipse Dounamus Ramista diffiteri potest, quando in cap. de subj. ita de nostra definitione scribit. *His verbis* (quod alteri sub- jicitur) *non modo essentia subjecti, sed etiam notatio contineri videtur.*

VII. Porro triplex faciunt *subjectum, Inhesionis, Considerationis sive Tractationis, & Predicationis.* Additur à nonnullis *subjectum adhesionis*, quod ad vel circum se recipit aliud tanquam adjunctum: quomodo homo dicitur *subjectum vestium, divitiarum, &c.* Potest tamen hoc revocari ad *subjectum inhesionis*, ut mox constabit.

VIII. *Subjectum inhesionis in genere*, dicitur omne id, cui aliquid inesse ponitur quocunq; modo: undè vel propriè vel strictè, vel κατ' ἀναλογίαν ita dici solet.

IX. *Subjectum inhesionis late & κατ' ἀναλογίαν dictum est*, cui aliquid inest per modum adhærendi, vel circumdandi, vel circumstandi, vel adfistendi, consistendi, afficiendi. Et hoc aliàs appellatur *Subjectum adjacens, adhesionis vel adhærentia.* Item *Materia in qua* dicitur. Sic cathedra est *subjectum* ejus, qui stat in cathedra. Sic mensa est *subjectum* eorum, qui adsident. Sic corpus est *subjectum* situs.

X. *Propriè* verò quando sumitur in hærentia, tunc *subjectum inhesionis* est, quod aliud tanquam adjunctum in sese ita recipit, ut in ipso intrinsecè hæreat atq; inexistat. Sic *accidentia predicamentalia primaria sunt in substantia tanquam in subjecto inhesionis, quia intrinsecè hærent in illa.* Subdividitur hoc in *subjectum ut Quod*, & *subjectum ut Quo.*

XI. *Subjectum ut quod est* primarium, radicale & fundamentale *subjectum*, in quo radicaliter inexistit, & ultimatò sustentatur aliud in hærens. Et hoc *propriè est subjectum, semperq; est substantia, cui per se innituntur in existendo accidentia.*

XII. Huc referri potest illa *distinctio subjecti*, qua dicunt aliud esse *Denominationis*, aliud *Informationis.* *Subjectum*

Denominationis est totum Compositum, quod denomina-
tur autem adjuncto suo, licet præcisè & immediatè non hæ-
reat in toto composito, sed in aliqua parte compositi. Sic ho-
mo est subjectum doctrine. Sic corpus est subjectum quantitatis,
à qua totum corpus denominatur quantum. Subjectum infor-
mationis est pars aliqua totius, quæ primo per se & directè
afficitur & informatur ab aliquo adjuncto. Sic anima est
Subjectum eruditionis, sic materia est Subjectum quanti-
tatis.

XIII. Subjectum ut Quo est quasi medium, per quod
inest accidens sive adjunctum suo subjecto fundamentali,
nempe subjecto ut Quod. Et hoc etiam potest esse accidens,
quod non raro est dispositio vel conditio, per quam substantia
competit aliquod accidens. E.g. Quantitas seu superficies in pa-
riete est Subjectum ut quo Coloris: Nota igitur, quod hic tria
concurrant. 1. Parietis. 2. Superficies. 3. Color. Parietis est ta-
le subjectum, cui ultimato innititur existentia coloris, adeoq;
dicitur Subjectum ut quod, quia est ipsum receptaculum,
quod in se recipit colorem.

Superficies est conditio, quâ interveniente paries recipit
colorem; unde dicitur subjectum Quo. Color deniq; est ad-
junctum sive accidens in pariete hærens; Similiter funda-
mentum relationum dici potest subjectum ut quo relationum,
quia per illud relationes insunt substantia. Sic paternitas in-
concreto tribuitur alicui personæ. E. inest ipsi: sed non im-
mediatè, verum mediante fundamento, remotiore, uti est vis
generandi hominem, & proximo, ut est actio seu generatio
ipsa.

XIV. Porro subjectum ut quod est duplex, universale &
particulare. Illud est *πεῦλον δεικνόν*, quod recipitur cum
suo adjuncto, adeoq; æquè late patet. Sic homo est primum
subjectum discipline. Sic corpus est primum & universale sub-
jectum quantitatis. Sic E N S est subjectum unitatis, veritatis,
boni-

bonitatis. Subiectum particulare est secundarium subiectum, quod est *angustius suo adjuncto*, ut homo respectu coloris, coelum respectu quantitatis, &c. *Illud est proprium*, cui soli omni, semper, primo & per se convenit adjunctum, ut animal est subiectum sensus. *Hoc appellatur commune*, quia eius adjunctum, etiam aliis rebus convenit, ut paries est subiectum albedinis.

XV. *Subiectum considerationis seu tractationis* est id, circa quod occupatur aliquid. Aliàs dicitur *objectum*, quia obijcitur potius, aliis, quam ut subjiciatur. Versantur autem circa objectum, & operantur circa illud facultates, artes, habitus, & similia. Sic *objectum visus est color*, quia visus occupatur circa colorem apprehendendum. Sic *Sutoris objectum est corium*, quando agendo versatur circa corium. Sic *omnes disciplinae habent certum objectum*, circa quod occupantur in cognoscendo, vel operando: *Physica objectum est corpus naturale.* *Logica objectum sunt omnia ENTIA*, quatenus notionibus secundis substant. Dicitur & *materia circa quam*.

XVI. Objectum variè subdividitur, vel enim est *adequatum*, adeoq; *proprium & totale*, quod æque latè patet cum suo occupante proprio: vel est *inadequatum*, quod *commune* est & *partiale*, adeoq; angustius est occupante, hoc est, eo, quod circa illud versatur. Sic *Physica objectum adequatum est corpus naturale*, quatenus est *naturale*: sed *inadequatum* ejus *objectum est coelum vel alia species corporis naturalis*. Sic *visus objectum adequatum est color*. Sed *albedo est ejus objectum inadequatum*. Huc referunt distinctionem objecti in objectum perfectionis vel adæquationis. *Objectum perfectionis* est nobilissima pars objecti totalis. Sic *Deus est objectum Philosophiae*, sed *in adequatum*, quia etiam circa alia entia versatur Philosophia. Quia verò *Deus est nobilissima pars scibilis*, Philosophiæ subiecti, idcirco dicitur *objectum perfectionis*.
Quid

Quid sit *objectum adaequationis* modo dictum est, nempe illud adaequatum, quod nec angustius est, nec latius suo occupante.

XVII. Insuper *objectum* est vel per se vel per accidens. Illud est, circa quod per se aliquid versatur seu occupatur. Ita verum per se est *objectum intellectus*. *Objectum per accidens* est, in quo accidentaliter occupatur adjunctum. Sic falsum fit per accidens *objectum intellectus*.

XVIII. *Subiectum predicationis* est prior pars enunciationis, de quo agitur in logicis ex lib. *Ἐπιπέδειξις*.

XIX. Hæc de *Subiecto*. *Adjunctum* hic adaequatè opponitur *subiecto*. Unde tot modis dici potest, quot modis *subiectum*. In genere ita describitur. *Adjunctum* est id, quod alteri tanquam *Substrato* adjungitur. Ubi observandum, *adjunctum* hic non esse *accidens predicamentale*. Latius enim patet, & etiam ad *substantias* se extendit. Scilicet omne id appellatur *adjunctum*, quod alteri supervenit & quasi ad sociatur. Sic *Professor* dicitur *adjunctum cathedrae*. Sic *Sponsa* dicitur *adjunctum Sponsi*. Sic *omnis socius* est *adjunctum*. Sic *libri* sunt *adjunctum mensæ*, in qua jacent, &c.

XX. Varios *adjuncti* modos agnosces ex varietate *subiectorum*. Hic saltem adhuc observabis, quod *Adjunctum*, in specie sumtum, usitatius accipiatur pro eo, quod *Aristotelicis* dicitur *πάθος* sive *Adfectio*; estq; id, quod alteri tanquam *subiecto* inest, illudq; afficit. Et hoc est vel commune vel proprium. *Commune πάθος* est commune *accidens*, quod contingens & accidentaliter inest, ita ut etiam aliis diversis speciebus conveniat. Sic *albedo* est *hominis accidens commune*, ut per se notum est.

XXI. *Proprium πάθος* est, quod uni tantum per se convenit, & non pluribus. Aliàs dicitur *proprietas*, *adfectio propria*, *adjunctum proprium*. Græcis dicitur *ἰδιώτης* & *ἰδιώματις*. Unde *communicatio idiomatum*, de qua *Theologi* disputare so-

resolent, nihil aliud est, quam communicatio propriorum & proprietatum.

XXII. De Proprio prolixè disputatur in Logicis: Itaq; nos hac vice nolumus prolixè naturam proprii exquirere. Saltem illa communis definitio proprii teneatur, quando dicunt: *Proprium est, quod uni speciei convenit, omni, soli, semper, primò, & per se.* Ex Isag. Porphyrii. cap. 4. Ex Arist. Top. 1. cap. 5. &c. observandum est, 1. Sermonem esse *de proprio simpliciter, & rigorosè ita dicto*, quod aliàs appellant Logici *proprium in 4. modo*, ut ex Isagoge Porphyrii notum est. 2. *Proprium uni soli convenire.* Sic enim *contradistinguitur communi*, quod pluribus inest. Ubi notetur, quod uni soli conveniat *Adjunctum proprium, sed servando conditiones alias*, scil. convenit uni soli, sed *primò & excellenter.* Aliàs enim quod hujus proprium est, *secundariò etiam potest aliis convenire.* Sic *calor est proprietas ignis: Et tamen calor secundariò etiam convenit mistis.* 3. *Proprium omni subjecto & individuo convenire: scil. servato discrimine.* Sunt *propriorum duo genera*, ut ex Aristotele notat Zabarella 1. post. cap. 4. text. 31. & lib. 1. de propof. Necess. cap. 12. Alia sunt *simplicia*, quæ consequenter sunt *ἀντίθετα ἀνεξαρτήτως*, ut risibilitas in homine. Alia verò *συνεπιπλεγμῶρα* sunt sive *conjuncta*, quæ *conjunctim omni subjecto conveniunt.* Sic rectè dico *omnis numerus est par vel impar*, itemq; *omnis homo est risibilis & contra.* Hoc sensu supra disputavimus *disp. 6. de affectionibus unitis & disjunctis.* 4. *Semper convenire proprium, scil. omni tempore inest proprium suo subjecto, juxta ordinem, & statum suum naturalem.* Sic enim naturaliter, & modo naturali nunquam ab eo divellitur aut realiter separatur, ut modo dicitur fusius. 5. Quod proprium subjecto conveniat, *primò & per se sive immediate*, scil. primitate & immediatione subjecti debet inesse proprium, hoc est, suo *πρώτῳ δεκτικῷ.* Quibus observatis facile inclarescet natura proprii. Plura.

B

qui

Qui desiderat, consulat Logicos & potiss. interpretes Porphyrii & Aristotelis, item Rev. & Excell. Dn. Jac. Mart. in tractat. de communicatione propr. Dn. Scheibl. Metaph. libr. 1. cap. 23. item Topic. cap. 8. Hic addantur sequentia.

A X I O M A T A.

1. *Subiectum prius est adjuncto.* Arist. 1. Phys. cap. 6. t. 52. ait, τὸ ὑποκείμενον πρότερον δοκεῖ τῆ κατηγορητικῆς εἶναι. Et rectè. *Subiectum enim sese habet ut antecedens, Adjunctum verò ut consequens.* Sic prior est cygnus, quàm ejus albedo. Sed attende, 1. *verum esse hoc de prioritate nature, non verò temporis, nisi per accidens in aliquibus.* Etenim *tempore simul esse possunt, immò adfectio propria & subiectum tempore semper simul sunt.* 2. *Intellige axioma de subiecto & adjuncto, quatenus talia sunt, hoc est, quatenus res aliqua adjungi & subjici dicuntur.* Nam aliàs fieri potest, ut diverso respectu ens, quod adjungitur, sit tempore prius suo subiecto. Ita *arma, que sunt adjuncta militis alicujus, ipso possunt esse longeviora: sed in quantum adjunguntur, ita supponitur esse aliquid in illa adjunctione prius, quod recipiat ea.* Scheibl. in Top. cap. 8. n. 192.

2. *Quod non existet, non potest esse subiectum.* Hoc est, quod supra diip. 6. diximus: *non-ENTIS nulla sunt adfectiones, scil. nihil est.* Sic in Logicis falso dicitur à Ramillis, quod *non-ENS ἀπλῶς dictum* subjiciatur Logicæ. Quid enim in illo, quod planè non est, consideret aut operetur?

3. *Subiectum non debet predicari de adjuncto suo quiditative.* Ubi intelliges *adjuncta rigorosè & verè dicta, que proprie super adduntur & adjunguntur subiecto, sic non rectè dico, Color est superficies. Doctrina est anima, sed color est in superficie, & doctrina est animæ.* Interim *non valet axioma in iis, que saltem imitantur habitudinem adjunctorum, qualia sunt attributa divina & transcendentalia, quæ sunt idem cum subiecto.*

4. *Receptivum debet esse denudatum à natura recepti.*
Aver.

Aver. in comment. ad 3. de Anim. Zabarell. ex Arist. ibid. ubi text. 4. ait : intus apparens prohibet alienum extraneum. Scaliger explicat hoc de Receptibili eodem numero. Exerc. 307. sect. 13. *Quod recipit, inquit, nudum esse debet eâ re, quam recipit, & omni natura ejus. Dico sanè nihil extrinsecus recipere, quod habet idem numero. Ac non recipere idem specie vel analogia falsum est.* Sic anima non recipit illam doctrinam, quam jam antè habet : interim aliam recipere potest. Vide Zabarell. in comment. ad 3. de Anim. text. 4. pag. 703.

5. *Receptivum non recipit admodum inprimentis, sed admodum receptibilitatis, quæ est in recipiente.* Scal. Exerc. 2. hoc est, quod vis recipit aliud juxta suam propriam dispositionem & aptitudinem. Sic aliter recipitur calefactio in luto quàm in cera. Ita, licet Præceptor doceat acutissime, intellectus tamen auditori non semper æquè recipit.

6. *Unum numero accidens non potest esse in diversis numero subjectis, quia est à se ipsorum, impartibile, nec potest distrahi. Etiam omne accidens accipit numerationem à subjecto.*

7. *Omne proprium præ se, fluit ex essentialibus subjecti principis scil. vel proximè vel remotè.* Sic facultas ridendi proximè fluit ex anima, ipse verò ridendi actus remotè.

8. *Proprium unius non potest esse proprium alterius.* Porphyr. in Isag. cap. 15. itemq; Zabarell. 1. post. ad text. 58. Quia proprium uni soli convenit. Interim alteri secundariò convenire potest, licet non sit ejus proprietas. Loquitur autem axioma de proprietate essentiali & proprio propriissime ita dicto. Sic enim illa regula communis est verissima : quod unius naturæ proprietas nunquam fieri possit alterius proprietas. Confer & Chemnit. de duabus Natur. in Christo cap. 22.

9. *Proprium per se est incommunicabile, interveniente verò unione fit communicabile.* Notandum verò, quod illa communicatio non sit inbasiva, quasi propriè hæreat unius naturæ

proprium, in altera natura unita, sed est *conjunctiva*, & talis, qua alterius propria alterum unitum quoad operationes habet in sua potestate. Sic vis urendi communicatur ferro ignito, adeo ut ferrum ignitum possit foramen efficere in ligno, quod aliàs neq; ignis per se, neq; ferrum per se præstare potest.

10. Uno priorum communicato, non statim communicatur & alterum. Quia fieri potest, ut sit repugnantia vel ineptitudo in recipiente. Sic ignis communicat ferro splendorem, & calorem, verum non levitatem. Sic anima communicat corpori vitam, sensum, sed non spiritualitatem aut immaterialitatem. Sed de his in controversiis alibi disputabimus.

C A P U T II.

DE SIGNO ET SIGNATO.

XXIII. Fuit Subjectum & Adjunctum: nunc deniq; sequitur *signum & signatum*. De quibus terminis omninò agere debet Metaphysicus: Hujus quippè officium est varios gradus & denominationes entium consecrari. Ubi tamen, annotandum est, quod *doctrina signorum consideretur vel in actu Signato vel in Exercito*. Hoc posteriore modo diversæ disciplinæ agunt de Signis. Sic Theologi agunt de Signis sacris, h. e. de Sacramentis, item de signis seu notis *essentia*: De Signis prognosticis extremi diei: Sic Physici præcipiunt de signis pluviarum, cometarum, terræmotuum, &c. Logici de Signis universalitatis & particularitatis in enunciationibus. Medici docent de Signis valetudinis & morborum. Sed in actu Signato & universaliter de Natura signorum agere debet Metaphysicus. Nam ratio signi, ut sic, transcendit omnes particulares scientias.

XXIV. Itaq; de Signis hic acturi in primis attendamus oportet, quod vox Signi primum imposita sit ad significanda illa Signa, que sunt *sensilia*. Quo sensu dixit Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 1. *Signum est res præter speciem, que ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire.*

Hinc

Hinc translata est ratio Signi, etiam *ad intelligibilia*, ut Species, & conceptus mentis. Sic Aristot. ait, conceptu Signa animi.

XXV. Deinde ambiguitas Signi evolvenda est. Nam sumitur 1. in Scripturâ *pro portentis & prodigiis*, ut apud Matth. cap. 24. & Act. 2. *item pro pœnis*, in quibus singulariter elucet divina severitas. 2. In Astronomia accipitur *pro constellatione & sphaeribus cœli*: Sic dicuntur *Signa Zodiaci*, qui inde vocitatur *Signifer*: 3. Vulgò Signum significat *vexillum militare*. 4. Non rarò Signum sumitur *pro ipsa re signata*. Sic circumcisionis signum Rom. 4. idem est, quod circumcisio. Ita apud Matth. cap. 24. Signum filii Dei est ipse filius Dei, scil. per constructionem intransitivam, ut alias loquitur Soncinas 6. Metaph. q. 18. *Nobis hîc signum in genere est nota quævis rem arguens.*

XXVI. Unde sic definitur: *Signum est id, quod potentia cognoscenti aliquid representat.* Ubi representare nihil aliud est, quàm præiens facere, ita ut Signum sistat præsens cognoscenti facultati ipsum signatum, scil. ex cognitione signi potentia cognoscentis habet signatum sibi præsens: non quidem quoad esse materiale signati: sed quoad speciem seu ideam, quâ signatum in cognitione repræsentatur cognoscenti.

XXVII. Sunt autem varia signorum genera. Primò signum est vel *insolubile & demonstrativum, vel solubile*. Illud est necessarium, quod infallibiliter signat, h. e. necessariò cohæret cum signato: Unde & dicitur *certam rei scientiam efficere*. Alias talia signa appellantur τεκμηρια, itemq; σημεία necessaria & infallibilia προειρημένα. Sic Arist. 1. Rhet. cap. 2. ait, *Si quis febrim habet, Signum est eum agrotare*. Sic crepusculum est signum infallibile futuræ vel noctis vel diei.

Signum solubile est Signum non necessarium, nempè quod cum re signata contingenter cohæret, adeoq; *saltem conjecturam probabilem efficit*. Sic pallor esse potest Signum amoris ve-

Divisio S.
1.

ris vehementioris. Sic *Arist. 1. Rhet. cap. 2. Signum est sapientes esse justos, quia Socrates erat sapiens & justus.* Nonnullis recentioribus *contingentia* Signa vocantur, ~~euota~~ *verisimilia.* Huc pertinent *corporum* Signa, ex quibus *naturalem adfectionem probabiliter colligunt physiognomi.*

11.

XXVIII. Secundo Signum est vel *Naturale* vel *Arbitrarium.* Naturalia Signa sunt, & potissimum ita dicuntur, quæ *ex vi sue nature aliquid representant, vel ex naturali connectione arguunt aliud tanquam signatum citra extrinsecam supervenientem ordinationem.* Sic fumus ex naturali dependentia ab igne est Signum ignis præsentis. Sed *Arbitraria* Signa sunt, quæ *non ex intrinseca vi notant signatum suum, sed saltem ex arbitrio imponentis, hoc est, ex ordinatione aut institutione extrinseca Dei vel hominis.* Sic *bedera est signum vini vel cerevisie venalis; sic elevatio digitorum est signum juramenti fasces imperii; mappa apposita prandii vel cœna.*

XXIX. Notandum verò hic est, quod *arbitrarium* Signum respectu divini arbitrii non sit illud, quod à Dei libertate positum sit in esse suo; sic enim omne Ens naturale esset arbitrarium respectu Dei, sed illud Ens demum fit Signum arbitrarium, quod à Deo ad significandum aliquod ultra ipsius esse ordinatur, adeoq; *extranea nota ipsi rei superadditur, quæ respiciat aliud, illudq; representet.* Scilicet Ens in esse suo productum fit Signum arbitrarium, quin *natura ipsius jamdum constituta supervenit, quasi alius externus actus, ita, ut, quæ ex sese non erat sufficiens ad significandum, postea novo & superveniente arbitrio Dei (vel hominis) ordinetur ad aliquid significandum vel signandum.* E. g. *Iris est Signum fœderis de non venturo diluvio; & ex ordinatione divina arbitrarium: quia iris ex vi sue nature non significat illud fœdus, sed ex superveniente impositione ab arbitrio Dei facta.* Similiter de *Naturali* notandum, quod non ita denominetur à re significan-

ficante. Hæc enim potest esse naturalis sub signo arbitrario, ut exemplum Iridis ostendit, sed *ex modo significandi & signandi.* Sic *voces sunt soni naturales, sed earum significatio non est à natura,* inde dicuntur arbitraria Signa. Interim attendes, quomodo authores loquantur. Fit enim aliquando, ut denominationem signorum desumant *ex ipsa re,* quæ si naturalis, & Signum naturale vocitant, si verò libera & voluntaria est, Signum ejus solent appellare arbitrarium. Sic *Perer. lib. 14. in Gen. num. 73. Signum Iridis Noæ datum, & Signum velleris ac rovis Gedeoni datum vocat naturalia. Signum circumcisionis vocat voluntarium.* Quo sensu solum actus liberi erunt Signa arbitraria. Sed *melior est & usitator prior illa denominatio Signorum,* quæ sumitur *ex modo signandi.*

XXX. Non enim absolutè nunc loquimur de re, prout in se est ejus natura, sed relatè, quatenus *quædam* habet ad aliud, quod repræsentat, hoc est, *de Signo rei nunc disputatur.* E. *nominatio & distinctio Signi petenda erit ex illa re, quæ habet res ad suum signatum, h. e. ex habitudine & modo illo, quo aliam rem arguit & repræsentat.*

XXXI. Hinc ergò breviter dico. *Signum naturale est, quod naturali vi aliud tanquam signatum respicit, arguit & repræsentat, & Arbitrarium est, quod ex arbitraria superimpositione (sivè à Deo sit facta sive ab homine) aliud signat.* E. g. *Iris est Signum pluvie idq; naturale, sed iris respectu diluvii non redituri, est arbitrarium Signum.*

XXXII. Augustinus 2. de Doctr. Christ. c. 1. & 2. Signa arbitraria vocat *data,* qualia, inquit, sunt *voces ad aliquid significandum ab hominibus editæ, sonus tubarum, clangor campanarum,* & similia. Huc referuntur *Sacramenta,* quæ divinitus promulgata & liberè ordinata ad significandum foedus gratiæ. Ubi verò notandum est, *ex Hüttero Loc. Theol. de Sacram.*

Quod

1. similia.
2. imagines.

Quod Signa data sint duplicia. Vel enim habent similitudinem cum re significata, ut imago hominis cum ipso homine, vel non habent. Jam Sacramenta referenda sunt ad speciem signorum datorum eorum, quæ cum re signata habent similitudinem. Vide D. Hutt. in Loc. Theol. d. p. 580.

III. XXXIII. Tertiò Signum est vel σημασιον vel περιελασιον, h. e. significativum, vel Exhibitivum. Licet verò generaliter omne Signum dici possit significativum; tamen per *Synechdochen* hic speciali sensu dicitur σημασιον, quod tantum significat, tantum signat. Unde alias *Nudum* signum vocatur. Μεταδολιον verò seu Exhibitivum signum est, quod unà exhibet id, quod significat. Ita scil. vel ex vocis notatione innotescit. Μεταδοσις enim significat exhibitionem. Sic Sacramenta non sunt nuda signa, ut Calviniani prætendunt, sed simul exhibent & porrigunt id, quod signant, nempe sunt organa efficacia regenerationis, & gratiæ divinæ acquirendæ. Sic sacra cæna reverà exhibet corpus Dominicum & sanguinem Christi.

IV. XXXIV. Huc pertinet illa Signi distinctio, quæ dicunt esse vel Theoricum vel Practicum. Illud enim ferè coincidit cum σημασιον. Theorica enim signa dicuntur ea, quæ solum significant, & non reverà cum suâ significatione aliquid efficiunt, nisi fortè aliunde, per accidens & occasionaliter. Sic pictura Herculis est Signum Herculis. Sic imago Christi est signum Christi. Sic hedera est signum vini vendibilis. Hæc signa dicuntur Theorica, quia propriè & per realem influxum ex vi suæ significationis nihil efficiunt præter representationem. Licet enim ad illorum signorum representationem insequi possit quædam actio & quasi excitatio in illo, cui aliquid significant: tamen id non fit per influxum quendam positivum, sed saltem occasionaliter: p. e. a, imago Christi potest animum dare intentius cogitandi de vulneribus Christi. Hedera potest adspicienti sitim excitare, ut edeat & emat vinum. Sed exinde non dicuntur Practica. Etenim Practica signa dicuntur, quæ
ex ipsa

ex ipsa significatione præter significationem suam reverà aliquid efficiunt. E. non saltem aliundè aut occasionaliter debent aliquid excitare, ut erat in illis theoreticis. Sic sigillum vel signaculum est Practicum signum. Quia non tantum significat scribentem, familiam, vel collegium, cujus est Signum, sed etiam reverà imprimit insigne scribentis familia, vel collegii, &c. Sic Baptismus est Signum practicum. Quia præter significationem gratiæ divinæ etiam est organum efficax, per quod Deus efficit nostri regenerationem & remissionem peccatorum.

XXXV. Quartò Signa ex fine proprio dicuntur vel Notificantia, vel commonefacientia, vel obsignantia signa. Notificantia sunt notæ, quæ rem ignotam indicando patefaciunt. Aliàs dicuntur ἠνεγκυρία. Sic Theologi disputant de notis vera Ecclesia. Ubi observant autores, quod proprietates notarum sint 1. ut sint simul cum notato. 2. sint propria, & non communes. 3. sint notiores. 4. inseparabiles, ut ex Axiomatibus constabit fufius. Signa commonefacientia sunt, quæ conservant notitiam rei cognitæ. Aliàs dicuntur μνημόσυνα, monumenta. Sic sacra cæna est μνημόσυνον passionis Christi. Signa obsignantia sunt, quæ certificant rem cognitam: Aliàs dicuntur σφραγίδες. Sic circumcisio est σφραγίς seu signaculum iustitiæ fidei.

XXXVI. Quintò Signa faciunt doctrinalia, vel non-doctrinalia. Scotus & connimbr. de Inter. c. 1. q. 3. art. 3. Doctrinalia Signa sunt, quibus in modo docendi utimur, uti sunt voces, conceptus & scripta, scil. quando docere volumus, illud semper fit exprimendo conceptus nostros, vel per voces vel scripta. Intellige verò conceptum formalem. Hic enim est similitudo, imago, exemplar, idea & forma quadam, per quam res ipsa extra intellectum posita representatur, atq; signatur. De hoc verum est illud, conceptus sunt signa rerum, ut & voces sunt Signa conceptuum. Quot modis varient

C

con-

conceptus, in *Physicis* explicari solet, ad *doctrin. de Anima*.
Confer. *Dn. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 24. Item Arist. in 1. Metaph.*
cap. 1. Combach. lib. 4. Phys. cap. 4. Signa non doctrinalia di-
cuntur, quibus non utimur in docendo, ut est fumus respectu
ignis, & omnia alia exceptis *νοήματα ἡμέτερα & γέφυρα*. Non
autem illa ita dicuntur, quasi non sint media cognitionem ju-
vantia. Hoc enim falsum est, ut ex ratione Signi patuit, sed
propterea dicuntur *Non-doctrinalia*, quia non utimur illis in
ratione & modo docendi. Doctrina enim omnis peragitur
istis tribus, nempe conceptu, voce & scripto.

XXXVII. Sexto Signa sunt *suppositiva vel manifestiva*
tantum. Suppositiva Signa sunt, quæ rem signant, & pro ea
supponunt in oratione. Sic voces sunt Signa suppositiva re-
rum. Pro his enim stant sive supponunt in oratione. E. g.
quando dicitur: *Homo est animal*: tunc significatur, quod
res illa, quæ est Homo, sit realiter animal. *Signa manifestiva*
tantum sunt, quæ in sermone non supponunt pro re signa-
tâ, sed eam saltem manifestant & notificant. Sic *bedera est*
Signum manifestivum caupone. Sic voces sunt Signa conceptu-
um. Non enim supponunt pro conceptibus, sed pro rebus.
Quando n. dico, *Homo est animal*, ibi vox hominis non suppo-
nit pro conceptu hominis (idem de animali judica) aliàs sen-
sus esset *conceptus hominis est conceptus animalis*, quod est fal-
sum. E. dicimus, quod *voces saltem manifestiva Signa sint con-*
ceptuum, licet rerum ipsarum Signa sint suppositiva.

XXXVIII. Septimò Signa sunt vel *Formalia vel In-*
strumentalia. Hæc dicuntur illa, quæ prius cognosci debent,
antequam inducant alterius signati cognitionem. Sic *vesti-*
gium leporis in nive est Signum Instrumentale leporis, quo co-
gnito, postmodum exinde lepus exploratur. Sic fumus est In-
strumentale Signum Ignis. Prius enim directè cognoscitur
fumus, post exinde mens elicit ignis latentis notitiam. *For-*
malia Signa sunt species rerum à potentia cognoscitiva receptæ,
quibus

quibus mediātib; res extranea cognoscuntur. Sic species sensibiles & intelligibiles dicuntur instrumenta formalia rerum, quia per eas statim immediatè innotescit res ipsa. Sic species coloris in oculo recepta est formale instrumentum, quo immediatè cognoscitur color hærens in pariete.

XXXIX. Deniq; Signa sunt *Rememorativa*, vel *Demonstrativa*, vel *Prognostica*. Illa signant præteritum. Dicuntur *Memorialia*, *Denckzeichen*. Sic scil. coena est Memoriale mortis & passionis Christi. *Demonstrativa* Signa sunt, quæ signant aliquod præsens. Sic fumus signat ignem præsentem. Sic *Sacramenta* sunt *Signa gratiæ præsentis*, quam scil. Deus Christianis per Sacramenta offert & exhibet. *Prognostica* Signa sunt, quæ aliquod futurum signant. Huc referuntur illi celebres versiculi Prognostici de die Conversionis Pauli.

*Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint nebula, pereunt animalia quæq;
Si fuerint venti, designant prælia genti,
Si nix aut pluvie, designat tempora cara.*

XL. Hæ sunt potissimæ signorum divisiones, ex quibus facillè natura & varietas *Signati* dignosci poterit. *Signatum*, enim nihil aliud est, quam res, quæ per *Signum* potentia cognoscenti representatur, ut Ignis est Signatum fumi: vinum venale est Signum hederæ. Hactenus theses.

USUS & ABUSUS.

Quantum lucis & utilitatis ex *contemplationibus Metaphysicis* redundet in omnes literaturæ operas, satis luculenter & commendabiliter nunc in ultima hac disputatione *generalium speculationum Metaphysicarum* haberem commonstrare. Quis enim ignorat quàm frequens ubiq; sit usus *presentium terminorum Subjecti, Objecti, Adjuncti, Proprii*: itemq; *Signi, signati*. Quis sine distinctione & accurata cognitione horum terminorum quicquam perficiet in *disputationibus*, quæ multum agitantur de *objectis scientiarum facultat*

*cultatum & operationum. De subjectis potentiarum anime,
de separatione priorum, &c. Sed quia non dubito, quin ex
superioribus disputationibus satis superq̄ constet usum termi-
norum Metaphysicorum ubiq̄ insignem esse, idq̄ contra adversa-
rios, primæ hujus Philosophiæ osiores, irrefragabiliter evi-
ctum, adeò ut non possit non inde vel ignorantia vel iniquitas,
& injuria ipsorum misosophorum manifesta esse, idcirco nolo
amplius in usu Metaphysicæ ostendendo hic desudare. Di-
spulent, qui dubitant hac de re, cum Calvinianis de communica-
tione idiomatum divinorum. Experientur, quod loquor, fat-
scio. Quod tollat proprietatem communicatio priorum, ob-
jectant semper, cum inde proprietates fiant communes. Quid
ibi? sanè sine genuinâ notitia proprii vix habebis, quod respon-
deas. Verum alter Metaphysicam edoctus mirari satis non po-
terit vanitatem ejusmodi oppositionum. Scit enim ad ratio-
nem proprii sufficere, si uni primariò & excellenter conveniat.
Quod sanè nequaquam tollit communicatio. Hæc enim
tantum facit, ut secundariò (non primò) prædicetur de alio,
confer thesin. 22. & ea, quæ supra disp. 16. de communicatione
disputavimus. In doctrina Sacramentorum ratio signorum, ni-
siritè intelligatur, quid contra eosdem Calvinianos efficies? Sa-
cramenta non sunt nuda Signa, sed μετέδοξα, ut verè tenet
orthodoxia fidei. Sed hic callidè laborant adversarii deprava-
ndo rationem Signi significativi, quasi illud non sit nudum,
quod non est denudatum à significando: ubi potius observare
deberent Signum dici nudum non à defectu significandi:
Omne enim Signum debet aliquid signare & significare aliud, sed
à defectu μετέδοξας seu exhibitionis. Huic enim opponitur id,
quod tantum est significativum, adeoq̄ est nudum Signum. Hoc
sensu tenet Ecclesia vera Sacramentum N. T. non esse Signum
nudum. Quomodo disputent de signi visibilitate & sensibili-
tate, vide in sobr. Phil. Dn. D. Meisneri part. 1. sect. 4. c. 6. q. 1. Con-
fer etiam Loc. Theol. Dn. D. Hütterer de Sacramentis, item de Si-
gnis seu notis Ecclesie. Ubi plura invenies.*

AXIO-

A X I O M A T A.

1. *Non omnia Signa sunt visibilia.* Planum hoc est è thesibus, & ex exemplorum Inductione. Sic *pulsus campana est Signum cultus instantis sacri, qui tamen non videtur, sed auditur.* Sic *voces sunt Signa conceptuum, item conceptus sunt rerum Signa invisibilia, & planè insensibilia.*

2. *Signum, quò signum, non importat realem diversitatem à signato.* Licet ferè semper intercedat *distinctio realis* inter Signum & Signatum. Ut apparet *in sensibilibus, ubi aliud ens est, quod signat, & aliud diversum planè est, quod signatur: interim tamen hoc non per se convenit Signo, quatenus Signum, sed ex materiali hujus vel illius Signi conditione.* Neq; enim, *omne Signum realiter differt à suo Signato.* E. g. *Arist. 1. Rhetor. c. 2.* ait, *Signum aegritudinis esse, si quis feбри labore: ubi sanè non est discrimen reale inter Signum & Signatum.* Sic *differentia specifica dicitur Signum, quò intelligatur subesse natura generica, quæ tamen re ipsa τῶντο sunt.* Confer Dn. Scheibl. l. 1. Metaph. c. 24.

3. *Nihil est nota sui ipsius.* Scil. *aliud* debet notificare, idq; patefacere cognoscenti potentia, uti de omni Signo dictum est supra. *Intellige verò aliud vel re vel ratione tantum.* Ergò *formaliter loquendo nota non est sui nota, licet nonnunquam materialiter coincidat cum illa re, quam notificat.*

4. *Nota debet esse notior notato.* Aliàs enim non esset nota, sed ignota.

5. *Nota debent esse simul cum notato, scil. notæ exquisitæ, quæ sunt ἀκρίβεια infallibilia & perpetua, quæ nunquam abesse possunt à re notata.*

6. *Nota debet à notato esse inseparabilis.* Ex præcedente axiomatica hoc fluit.

7. *Nota debent esse propria, non communes.* Etenim si aliis etiam essent communes, jam nihil certi certò signare possent. Communia enim nullam vim peculiarem habent dis-



cernendi unum ab alio. Hinc rectè Bellarminus lib. 4. de Ec-
cles. ait. Si velim tibi certum designare hominem, quem nun-
quam vidisti, ut mox atq; videris, discernere eum ab aliis pos-
sis, non debeo dicere, est quidam homo, qui habet duos ocu-
los, duas manus, &c. Vide Dn. Scheibl. l. 1. Metaph. c. 24. p. 825.

Q U Æ S T I O N E S.

I.

An Deus dici possit subjectum?

De subjecto Logico seu prædicationis dubium esse ne-
quit: sed de physico & reali quæritur. Ubi primum in ordine ad
attributa divina dici posse putamus, *Deum esse subjectum suo-
rum attributorum*: non quidem rigorosè loquendo, ac si re-
aliter inhærent attributa divina in Deo, sed *juxta modum
concipiendi nostrum*, quo inesse dicuntur: Non secus atq; affe-
ctiones entis, Unitas, Veritas, Bonitas appellantur entis, eeu
sui subjecti, adjuncta. Deinde verò in ordine ad *assumptam hu-
manitatem*, aliter omninò statuendum. Ita namq; non com-
modè nec aptè juxta ἀνεξέσταν horum terminorum dices, *De-
um esse subjectum humanitatis assumptæ*. Non enim hæc saltem
extrinsecè adjungitur divinæ naturæ, ut aliàs fit in substan-
tialibus adjunctis propriè dictis; neq; leviuscula tantum in-
tercedit cohæsiō inter λόγος & carnem ejus, sed *arctissima
unio*: non ὁμοιότης Nestoriana, sed ὁμοιωσις ὑποστατική: non
ὁμοιωσις accidentalis, sed *intrinseca profundissima ἔνωσις
personalis*. Quia ergò terminus *Adjuncti & Subjecti in hoc
summo mysterio periculosus esse videtur, & citra necessitatem,
a Calvinianis hic adhibetur*, idcirco melius tutiusq; erit, si ab
illo abstinatur. Sanè *Humanam Christi naturam dicere ad-
junctum divinæ naturæ, & periculosum est & erroneum.*
ὁμοιωσις nudam importat, adeoq; ὑποστατικὴν ἔνωσιν & ὁμοιωσιν,
tollit illa Calvinianorum locutio. Anne erit *adherens vel
inherens adjunctum?* certè neutrum sine summo errore dici
poterit. Accedit, quod *Adjunctum propriè dictum, nunquam
de suo*

de suo subiecto dici queat substantivis nominibus. Non enim dico, Homo est vestis, sed vestitus. Sed de λόγῳ prædicatur Homo substantivè, λόγος est homo, ut cum antiquitate Ecclesiæ loqui solemus. Immo si aliquid dicendum esset, potius caro esset subiectum & λόγος, ut ex Coll. 2. v. 9 colligunt patres, nempe Humanitatem esse δοχῆος & λόγος, quomodo & Nyssenus οὐρα vocat Θεοδόχον. Sed hac de re plura vide apud Chemnitium de duabus Nat. in Christ. cap. 9. item in sobr. Phil. Dn. D. Meiss. part. 1. sect. 1. cap. 1. q. 4.

II.

An propria adjuncta possint separari à suo subiecto?

Hac in re certum est 1. *Adjuncta nat' ἀναλογίας dicta, quæ ex natura rei non differunt à subiecto, non posse separari, neq; realiter, neq; per rationem aut conceptum mentis.* Sic affectiones entis simplices & primæ, itemq; attributa divina neutiquam disjungi possunt à suis subiectis. 2. *Adjuncta propria, realiter distincta à subiecto mentali abstractione separari queunt, hoc est, Essentia subiecti apprehendi potest demissis proprietatibus, ut patet ex definitionibus. Confer Scal. Exerc. 5. s. 6. Zabar. lib. 1. de mat. prim. cap. 12.* 3. *Actus propriorum naturales etiam per natura vim abesse & tolli possunt.* Sic risio ab homine, latratus à cane tolli potest. Quaritur & disceptatur cum Calvinianis de ipso esse propriorum, & de potentia proprietatum realiter distinctarum, num ita realiter separari possint propria à suis subiectis. Nos affirmatè respondemus quoad potentiam Dei absolutam, licet quoad ordinem naturæ negari possit. Quia enim proprium accidens habet esse proprium realiter distinctum ab esse subiecti, cur Deus per omnipotentiam suam illud non possit conservare sine suo subiecto? Non enim implicat contradictionem. Plura vide supra in disp. II. q. 3. & in spicileg. nostro quæst. illust. disput. 6. q. 1. itemq; in primit. Phys. progymnas. disp. 3. quæst. 4. Confer Dn. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 23. & c.

III. An

III.

An proprium communicari sit contradictorium?

Alibi demonstravimus propria quædam communicari
 ri naturæ unitæ, in spicil. quæst. illustr. Miscell. disp. 10. q. 1.
 Hic saltem breviter ostendemus, quod *contradictionem non
 inferat communicatio priorum, adeoq; sit possibilis.* Constat hoc
 ex inductione exemplorum. 1. *Proprium generis communica-
 bile est speciei.* Sic propria corporis communicantur cælo,
 igni, mixtis, &c. sic propria animalis communicantur homi-
 ni. Ergo falsum est, quod communicabilitas, tollat proprie-
 tatem. 2. *Proprium partis revera communicatur toti.* Sic pro-
 prietates animæ communicantur toti homini. Hic enim re-
 aliter est intelligens, volens, &c. Sic quantitas communica-
 tur corpori. 3. *Proprium partis unius potest communicari ad
 partem aliam per intervenientem earum unionem,* scilicet per
 usurpationem communem, non verò per migrationem de
 subjecto in subjectum. Sic *potentiæ vitales,* quæ sunt animæ
 proprietates, *communicantur corpori:* Unde *oculus videt, lin-
 gua gustat,* &c. Plura qui desiderat de communicatione
 priorum, legat tract. Dn. D. Jac. Mart. hac de re
 peculiariter conscriptum.

F I N I S.



AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

IONUM
ICARUM
TIMA,

20

TALIBUS
RIBUTIS,
ADJUNCTO,
IGNATO,

TI auspicio,
IDIO

SCHARFII,

is, Facult. Philo-
ncti,


TEBERGENSI
AIA

deque examinandam

LBERTUS

rt,

oris matutinis, in
nore.



ERGÆ,
STIANI THAM,
ogr.

C XXIII.

